









1737.

1. Buderus, Christ. Tom.: De capitulo honoribus episcopo.  
2. <sup>num</sup> Ymerius.
2. Dariis, Joachimus Georgius: Necessitas quod justum est esse legem talionis tam in foro externo quam in foro pali.
3. Heimburg, Dr. Lasp: De anticategorica velgo recriminatione in processu accusatorio ex omnius fine spectata.
4. Herbelius, Ioh. Fried.: De alienatione patrimonii missorum patritiae, vel omnibus etiam locis conseruentibus illicita.
5. Herbelius, Dr. Trivarius: Rejumenta testium presentato.
6. Kemmerichius, Pet. Horn, Ord. iur. prodecens:  
Programma: De institutis Germanorum ad conservatio-  
nem patritiae spectantibus, dissertationi inag-  
gredi. Gottlieb Adolphus Henrici Heydenreichi pre-  
missum.

1737.

7. Ans, Johannes Reinhardi : *De studio martyrii in eccles.* 14.  
sia primitiva.
8. Schamberg, n. Gottfried : *De testamento numeratio* 154.
9. Walckius, Joannes Georgius : *De hymnis ecclesiis  
apostolicis* 16.
10. W. genes, Immerius : *De mutuo studii historice et  
publici nexus.* 17.
11. Buderus, Christianus Gottlieb, Fac.-jur.-Decanus : *Program-  
ma, Christiani Henrici Reinhardi ... auspicatae 1738 pro-  
fessionis praemissum.* 18.
- 12<sup>o</sup>.<sup>st</sup> Buderus, Carol. Gallus : *De iuri retractatus gentilium  
in Germania origine.* 2 Sept. 1738 : 1754. 19.
13. Buderus, Christianus Gottlieb : *História Programma* ..  
*Frixiensi Aureli Gottlieb Immege ... auspicatae 1738.* 20.
- professionis praemissum.*

1737

14. Ruderus, Christianus Gottlieb : Historia canoniciatum supp.  
regumque Germaniae sine praebentia regis.
- 15<sup>o</sup> Corvinus, Christianus Joannes Antonius : De consuetudinibus  
2 exempl.
- 16<sup>o</sup> Engen, Dr. Augustinus : De iuribus principum even-  
teliorum circa oratores sacros. 25 Sept. 1738 - 1757.
17. Estor, Dr. Georgius : De societate Leonina et l. 29 552 d.  
pro socio
18. Heimburgius, Dr. Cyp. : De fisco res publicorum fiscalium  
iure creditoris ad Distributente.
19. Heimburgius, Dr. Cyp. Fac. juri. Decimus : Programma,  
auspicali Dissertationis Friderici Pii Linckii . . .  
praemissum.
20. Herbelius, Dr. Fridericus : De iuris Romani subtilitate.  
libus . . . Prulario aca demica, qua praelectiones mag  
academicas auditas . . . in his L.



1738.

21. Schierenschnürung, Tr. Taz 1. : Ne imputacione culpas et  
locationem contractioem

22. Schierenschnürung, Tr. Taz 1. : Deservitudo rerum tempor  
locatione contractioe constituta.

P. 359

I

I

I

*Q. D. B. V.*  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> PHIL<sup>O</sup>SOPH<sup>I</sup>C<sup>A</sup>  
DE  
**CONSVETVDINIBVS**

*QVAM*  
DEO CLEMENTER ADVENTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**GVIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE,  
WESTPHALIAE, COMITE SAYNAE, ET WITTGENSTEINII,  
RELIQVA  
CONSENTIENTE  
AMPLISSIMA FACVLTATE PHIL<sup>O</sup>SOPH<sup>I</sup>C<sup>A</sup>  
*PRAESIDE*  
**CHRISTIANO IOANNE**  
**ANTONIO CORVINO**  
PHILOSOPHIAE MAGISTRO  
PVBLICE DEFENDET  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS POLTZIVS**  
ROSLAVIENSIS THVR.  
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE  
CVLTOR.  
*DIE III. MAII MDCC XXXIX.*  

---

IENAE LITTERIS HORNIANIS.

CONGRATULIBAS

DOMINO  
CONGRATULAMUS  
OMNIBUS  
DOMINIS  
ET DOMINA

CANTICO HENRICO

CONGRATULAMUS  
OMNIBUS  
DOMINIS  
ET DOMINA



Q. D. B. V.

## PROOEMIVM.

**N**ihil fere in regno veritatum ita est  
arduum, de quo ab eruditis in va-  
rias partes disputatum non sit.  
Neminem, nisi plane in historia  
literaria sit hospes, hoc fugere cre-  
do, ut exemplis id confirmare vel-  
le superuacaneum foret. Et qui aliter, quam ita  
fieri potuit, cum plerique, quibus virorum docto-  
rum olim haerebat nomen, vagis discursibus, quam  
indubitatis principiis legitimoque concludendi mo-  
do sua superstruere mallent. Qui alias scientias  
debebant docere, scientiae osores, adeoque igno-

A 2 rantes

rantes se esse non raro prodebant. Multi eorum, *scientias, quo magis scientificae sunt, ad prudentiam aut sapientiam nihil vel parum facere, inaniter sibi persuaserunt.* Iuris cumprimis tam naturalis, quam ciuilis prudentia ita peruersa iudicia est experta. *Tota nostra iuris prudentia conjecturalis est, non scientifica, adserit non nemo.* Praegnans hujus dicti ratio in eo quaeritur, *quia prudentia est.* Quid itaque mirum, si multi istas disciplinas manibus illotis tractaturi, hinc inde hallucinabantur mirifice, erroresque admittebant turpisimos, quos euitare facile potuissent, si scientifice in scientiis incedere ipsis placuisset. Hinc numerus controversiarum infinitus, animorumque dissensionum finis nullus. Saepius haec bella non sine exacerbatione, eruditos nequaquam decente, sunt gesta; cum tamen de solis non nunquam verbis esse pugnatum, acutiores hodie perspiciant. Non mitiora fuerunt fata celeberrimi istius ex iure naturali & gentium desumpti argumenti, *de Consuetudinibus,* cuius insignem esse in vita communi vtilitatem, uno ore omnes fatentur. Egerunt passim de eo veteres eruditi:

5

eruditii, sed quam feliciter, alii videant. Recen-  
tiori aetio maiori cura illam materiam sibi pertra-  
ctandam sumserunt SLVTERVS, CHRIST. THO-  
MASIVS, ET NIC. HIERON. GVNDLINGIVS.  
SLVTERVS peculiarem de consuetudinibus tra-  
statum patrio idiomate conscripsit, Hamburgi edi-  
tum 1694. Aliquot annis post, an. 1699. sub IL-  
LVSTRIS THOMASII praesidio dissertatio ha-  
bita est Halae, sistens *coniecturas de iure consuetu-*  
*dinis & obseruantiae*, cuius quinta editio ibidem  
1731. 4to publicam lucem adspexit. GVNDLIN-  
GIVS, cuius insignem eruditionem mirantur  
omnes, parti 7. praestantissimi *Gundlingiano-*  
*rum* operis brevem dissertationem, *von dem*  
*Gewohnheits Recht*, inseruit. Alios non adeo  
celebres ut taceam. Non sine praeclaro doctri-  
nae adparatu in hoc argumento pertractando, pro  
more suo, praeferunt duos posteriores esse versa-  
tos, ipsorum nominum celebritas cuilibet persua-  
debit. Neque sane id sine ratione. Interim  
non in omnibus consentiunt viri illi eruditissimi,  
sed GVNDLINGIVS THOMASIO, suo licet

A 3                    prae-

praceptor, non semel contradicit, oppositasque amplectitur sententias, nomine tamen ipsius sollicitate suppresso. Praeterea ex principiis suis non omnia deriuasse viros aliquin celeberrimos, nec systematice sua proposuisse, ipsa scriptorum eorumdem lectio quemuis docebit. Vbi ergo de dissertationis cuiusdam moralis themate cogitabam, hocce, *de consuetudinibus*, praeter ceteris adcuratori pertractione dignum est visum. Longe prolixius illud exponere, & exemplis hinc inde ex iure ciuili petitis rem illustrare mihi mens fuit, sed ob temporis penuriam illud hac vice praestare haud licuit. Alia vero occasione, si D E O placuerit, id fiet certissime. Interim praesentes meos labores, ut benigne excipiat B. L. mihiique & in posterum faueat, est, quod enixe rogo.

TRA-

## TRACTATIO.

### §. I.

**L**ibertas physica, sive mentis est facultas ex pluribus possibilibus illud eligendi, quod maxime placet. Actiones a libertate dependentes physice liberae dicuntur, quas, si sint singulares, facta vocant iuris naturalis & ciuilis doctores. Libertas moralis est independentia actionum physice liberarum ab alterius imperio.

### §. II.

Regula, secundum quam actiones liberas instruere obligamus, vocatur lex (latiori significatu). Quodsi obligatio illa dependeat ab auctoritate alicuius imponentis, est species legis, quae a multis κανόνις lex vocatur. Complexus legum dicitur Jus, quae vox alioquin etiam pro facultate morali, it. pro actione iusta sumi solet.

### §. III.

*Similiter agit qui sub iisdem circumstantiis idem agit.*

### §. IV.

Similitudo actionum liberarum externarum in eadem societate, qua tali, se excipientium, lege non praescriptarum, dicitur consuetudo.

**SCHOLION I.** Quod actiones liberae hominum vel sint internae, vel externae, & in quonam illae consistant, par-

partim ex Metaphysicis, partim ex iuris prudentia naturali hic supponimus.

**SCHOLION 2.** Consuetudinis vox non unum semper significatum inter eruditos obtinuit. Aliter sumitur in Metaphysica & Ethica, sc. pro habitu agendi ex determinatione praeterita, qualis consuetudo unicum requirit individuum. Nos vero, vt ex definitione patet, eo sensu istam vocem adhibemus, qui in vita communi non minus inualuit, pro eo quod visu receptum, expressa tamen lege prae scriptum non est, vor eine her gebrachte Gewohnheit, altes herkommen. Nonnulli iuris ciuilis doctores termino paullo strictius utuntur, vt idem illis sit ac *ius non scriptum*; sed hac ratione potius esse speciem consuetudinis, pro eo quem nos retinemus significatu, ex sequentibus patebit.

### §. V.

Relatio actionis liberæ ad legem ejus est *moralitas*; cumque relatio illa ad legem vel sit conuenientia siue conformitas, vel disconuenientia siue difformitas cum eadem: hinc quid sit *bonitas* est *pravitas liberæ actionis* facili negotio intelligitur.

### §. VI.

*Actiones bonae* sunt, quae legi sunt conformes, quae vero ei contrariantur *malae* vocantur. *Actiones* quae nec bonae sunt, nec malae *actiones indifferentes* siue *neutrae* audiunt.

### §. VII.

*Actiones* creaturarum liberae quaecunque ad legem naturae relatae, vel cum ea conuenient, vel non conueniunt ( per princ. I. N.). Ergo respectu legis naturae actiones creaturarum liberae omnes, vel bonae sunt

88 ) o ( 80

sunt vel malae, nulla vero est indifferens (§. praec.). Quaecunque ergo actio libera a lege naturae pracepta non est, illa ab eadem est prohibita, & quaecunque actio libera legi naturae repugnat, ab ea praescripta esse non potest ( propter oppositionem immmediatam ).

### §. VIII.

Homines non raro agunt, quod lege naturae prohibitum est (per exper.) ; dantur itaque actiones liberae a lege naturali non praescriptae, saepius etiam externae.

### §. IX.

Fieri ergo potest, ut oriatur similitudo actionum liberarum externarum in eadem societate se excipientium, lege naturali non praescriptarum (§. praeced.), consequenter respectu ipsius legis naturae potest oriri consuetudo (§. IV.), quae tamen semper est mala, (§. VII. VI.).

### §. X.

In republica multae quidem actiones liberae externae per leges in ea latas determinari possunt, talis vero res publica, in qua de omnibus sit constitutum, adhuc non existit, nec facile vnuquam existet.

### §. XI.

Possunt itaque in republica quadam dari actiones liberae externae, lege expressa, in republica lata, non determinatae (§. praec.), quae adeo neque a lege ista iniunctae, neque ab eadem prohibitae censi-

B

pos-

possunt, & hinc neque bonae sunt, eo respectu, neque malae, consequenter indifferentes (§. VI.).

**SCHOLION.** e. g. qualibus vti debeamus pileis, gladiis, vestimentis &c. in multis rebus publicis determinatum non est, adeoque eatenus indifferens.

### §. XII.

Leges in republica latae non semper obseruantur (per exper.) ; possunt ergo in republica dari actiones legibus istis repugnantes, adeoque iis non praescriptae, quae vero sunt malae (§. VI.).

**SCHOLION.** Hinc videmus, quod actiones liberae externae, a lege, in republica lata, non praescriptae duplicitis generis esse queant, quarum aliae sunt indifferentes (§. XI.) aliae malae (§. XII.).

### §. XIII.

Cum in republica dari queant actiones liberae externae, lege in eadem lata non praescriptae (SCHOL. §. praec.), eaedemque se excipere : respectu legum in republica latarum consuetudo oriri potest (§. IV.).

### §. XIV.

Actiones liberae externae, a lege in republica lata, non praescriptae, vel sunt indifferentes, vel legi repugnant (SCHOL. §. XII.): consequenter consuetudo in republica orta vel erit legi contraria, vel erit indifferens.

### §. XV.

Similitudo actionum liberarum externarum in eadem

dem societate, qua tali, se excipientium indifferentium vocatur *consuetudo praeter ius sive legem*. *Consuetudo vero contra ius sive legem* est similitudo actionum liberarum externarum in eadem societate, qua tali, se excipientium, legi in illa societate latae repugnantium.

### §. XVI.

*Consuetudo itaque contra ius obtainens, si eam tantum referas ad illam legem, cui repugnat, est mala (praec. §. VI.).*

**SCHOLION.** Qua ratione illa bona esse, imo legis vigorem nancisci queat, ex inferius dicendis elucefecit.

### §. XVII.

*Ex definitione consuetudinis (§. IV.) patet ad eam requiri actiones plures: vnica ergo actio consuetudinem nondum efficit.*

**SCHOLION.** Quot praeceps actus requirantur ad id ut consuetudo oriatur, ex solius rationis principiis non potest determinari. Pro circumstantiarum diuersitate nonnumquam duae, nonnumquam vero plures duabus requiruntur actiones. Mirifice alioquin a se dissentient haec in re viri erudit. Nonnulli vnicum iam actum sufficere ad consuetudinem contenderunt, sed haec sententia quam nullo superstratur fundamento ex superioribus patet. Duas actiones sufficere alii arbitrantur, e. g. FELTMANNVS Lib. XXXII. ff. de LL. num. 2. vbi inter alia: etiam biduo, inquit & duobus actibus introduci potest consuetudo, cum quo etiam facit IOANNES HENRICVS DE BERGER in Oeconomia Lib. I. Tit. I. §. XIX. pag. 113.

FELTMANNVM refutat THOMASIVS in  
 Diss. de iure consuetudinis & obseruantiae §. CXVI.  
 Iure romano requiritur ad consuetudinem fre-  
 quentia actuum, vbi NODRIVS in Commenta-  
 rio ad ff. de leg: S. C. & long. consuet. p. 22. in-  
 quirit: neminem sibi posse persuadere, frequentem  
 esse senatum, frequentem populum, aut frequens col-  
 legium, cum adiunt duo aut tres de senatu, de po-  
 pulo, aut de collegio; ex quibus verbis eius sen-  
 tientia satis clara euadit. conf. GVNDLINGIVS  
 von dem Gewohnheits-Recht (§. XVII.).

### §. XVIII.

*Imitari aliquem* est, idem agere, quod ille, sub iis-  
 dem circumstantiis, ea intentione, vt ipsi similes eua-  
 damus.

### §. XIX.

Si ergo quis alterum imitatur, eius actiones simi-  
 les sunt actionibus eius, quem imitatur (§. praec. & III.).

### §. XX.

Fieri potest, vt alterum, nobiscum in eadem so-  
 cietate viuentem imitemur in actionibus liberis exter-  
 nis lege non praescriptis; saepius enim illud actu fieri  
 experientia docet.

### §. XXI.

Potest itaque fieri, vt per imitationem oriatur  
 similitudo actionum liberarum externarum in eadem  
 societate, qua tali, se excipientium lege non praescripta-  
 rum (§. praec. & XIX.); adeoque consuetudo (§. IV.).

### §. XXII.

## §. XXII.

Saepius contingit, vt vnuis sub iisdem circumstan-  
tiis easdem perpetret actiones liberas externas, quas  
alter perpetravit in eadem societate viuens, licet ille qui  
nunc idem agit, hoc ignoret (per exper.).

## §. XXIII.

Quicunque alterum imitatur, intentionem habet,  
vt alteri euadat similis (§. XIX), consequenter simili-  
tudinem actionum adpetit. Iam nihil, nisi quod cognoscimus,  
adpetere possumus (per princip. Psychol.). Hinc  
qui alterum in actionibus certis imitatur, easdem  
cognoscat oportet.

## §. XXIV.

Fieri adeo potest, vt oriatur consuetudo, licet vnuis  
alterum non imitetur, siue quod idem, non omnis con-  
suetudo ex imitatione ortum trahit (§. praec. XXII. & IV).  
Falluntur itaque qui ad omnem consuetudinem imita-  
tionem requirunt.

## §. XXV.

Vt consuetudo oriatur, plures illae actiones simi-  
les se excipient oportet (§. IV.), siue debent esse suc-  
cessuae.

## §. XXVI.

Vbicunque dantur successua, ibi datur tempus  
(per princ. Ontol.); vnde si oriri debet consuetudo, ne-  
cessario tempore quodam opus est (§. praec.), siue nulla  
consuetudo oriri potest in instanti.

SCHOLION 1. Nos itaque hanc thesin ex eo deducimus, quod actiones requirantur plures *se inuicem excipientes*; interim illi quoque qui vnicam actionem liberam eternam sufficere arbitrantur, propositionem eandem admittunt, illamque probare possunt vel exinde, quia ista actio per aliquod tempus beat continuari, vel ex eo, quod actio creaturarum libera omnis varia successiva inuoluat.

SCHOLION 2. Ex solius rationis principiis hac de re demonstrare nihil licet, nisi quod ad consuetudinis ortum requiratur tempus; sed quantum praecise temporis necesse sit spatium, generatim non determinatur. Diadicandum illud est ex circumstantiarum diversitate. Potest sufficere tempus brevius, si actio una non multo post alteram sequatur. Quodsi vero longius temporis interallum inter actiones intercedat, diutius requiritur tempus. Ius posituum humanum passum hic quaedam determinare vulgo creditur, e. g. si consuetudo sit introducta praeter legem, decennium tantum, si vero contra legem, annos quadraginta requiriere dicitur ius Canonicum. Hanc vero opinionem, vsu licet receptam, debito carere fundamento iudicat BERGERVS loc. cit. p. 14. Nec defunt, qui sibi persuadent, iure Saxonico ad consuetudinem quamcunque sine fit praeter, sine fit contra ius, spatium 31. annorum 6. hebbdomadum & 3. dierum, idque a primo consuetudinis actu, qui probari potest, esse computandum. Prouocant ut id probent ad Landrecht Lib. I. art. 29. & 38. THOMASIVS ex istis textibus nihil posse deduci contendit siquidem in illis non de consuetudine, sed praescriptione potius sit sermo. Interim in foro illam sententiam esse receptam, notum est viris in praxi juris veritatismissimis. Dantur etiam inter doctores, qui ad consuetudinem tempus immemorale requirunt, teste IOANNE BRUNNEMAN-

NEMANNO in Comment. in quinquaginta libros ff. p. 15.  
b. Edit. Witteb. & Berolini 1701. fol.

### §. XXVII.

*Voluntas*, quae verbis dedaratur, *expressa* vocatur,  
quae vero ex actionibus externis aliis colligitur, *volun-*  
*tas tacita* audit. Hanc non cognoscimus nisi probabi-  
liter tantum (per princ. I. N.).

### §. XXVIII.

Quidquid imperans vult a subditis obseruari, illud  
nisi rationi repugnet, & ignota sit illis principis volun-  
tas, obseruare subditi tenentur (per princic. iuris G.),  
adeoque subditis sola imperantis voluntas de subiecto-  
rum actionibus, modo rationi non repugnet, & subdi-  
tis innotescat, lex est (§. II.).

### §. XXIX.

*Promulgatio legis* secundum b. KOEHLERVM in I.  
G. §. 997. est actus quo efficitur, ut cives subditi legem  
qua valitaram cognoscant.

**SCHOLION.** Posset etiam definiri, quod sit actus, quo  
princeps subditis verbis declarat, quid fieri ab illis  
velit.

### §. XXX.

Subditi vel ex disertis imperantis verbis, vel ex aliis  
principis actionibus eius voluntatem de illis, quae a  
subditis fieri debent colligere queunt.

### §. XXXI.

## §. XXXI.

Duplici itaque ratione subditis voluntas imperantis de his, quae sint agenda, innotescere potest (§ praec.). Vnde lex in republica obtinens dividi solet in scriptam & non scriptam. *Lex scripta est*, quae est promulgata, *lex non scripta*, quae non promulgata est. Quid sit *ius scriptum & non scriptum* ex dictis & §. II. intelligitur.

**SCHOLION.** Qui vocum significaciones ex etymologiis eruere solent, *legem scriptam* vocant, quae in scripturam redacta sit, *non scriptam* quae in scripturam redacta non sit. Praeter alios illustr. THOMASIVS loc. cit. §. XCVIII. in ea est opinione; sed ad sensum ipsi denegant plerique antiquitatum peritores v. g. ipse GUNDLINGIVS loc. cit. VLRICVS HVBERVUS, ICTUS celeberrimus, praelect. Iur. Civ. Tom. I. p. 12. Edit. Lips. 1725. 4. 10. SCHILTERVS Exercitt. ad ff. T. I. p. 5. a. edit. Francof. & Lips. 1713. fol. it illustr. HEINECCIUS Institut. §. XLIV. in Schol. & alii.

## §. XXXII.

Consuetudines interdum rationi repugnant, interdum minus. Prioris generis *consuetudines rationabiles*: posterioris *irrationabiles* vocantur.

**SCHOLION.** Diuersam esse hanc consuetudinis diuisiōnem ab illa, quae §. 15. est adlata, ex ipsis definitiōnibus est manifestum. BERGERVS loc. cit. p. 13. ad rationabilitatem consuetudinis requirit, ut iuri vel naturae, vel diuino vniuersali non repugnet: quae vero alterutri iori aduersetur, illam esse irrationalē. Consuetudinis irrationalis exemplum esse adserit, daß die Müller diejenigen, so etwas in denen Müh-  
len

len entwenden, mit der Knoten-Peitsche zu straffen befugt seyn sollen, quia scilicet hoc vindictam permittat, poenamque priuatam. Iure canonico consuetudo eiusmodi irrationalis corruptela dicitur.

### §. XXXIII.

Omnes homines possunt errare, etiam in representatione boni & mali; adeoque bonum, quia sibi illud tanquam malum interdum representant, auersari, malum contra quod pro bono habent, adpetere, (per princ. Met. & moral.). Idem ergo de imperantibus, de quibus hic est sermo, est adserendum.

### §. XXXIV.

Hinc fieri potest, ut imperans subditis ea agenda-praescribat, quae sunt mala (§. praec.).

### §. XXXV.

Possibile est, ut imperantis cognitio mutetur, adeoque is errorem cognoscatur, per consequens subditis oppositum eius, quod olim, faciendum praeſcribat. Voluntas imperantis de iis quae sunt facienda, si subditis innotescit, lex est (§. XXVIII.), vnde leges imperantium possunt sibi inuicem contrariari, sive una alteram tollere vel ex toto vel ex parte. Lex una alteram abrogat, si eam in totum tollit; si autem una alteram tollat in tantum, vel ex parte, illi derogare dicitur. Potest ergo lex imperantis una alteram abrogare, vel tantum derogare.

## §. XXXVI.

Interdum ea sunt bona, quae imperans prius subditis facienda praescribit, ubi contingere potest, ut tempore sequenti, cognitione mutata, illa habeat pro malis, adeoque ulterius observari nolit, consequenter & hac ratione lex una alteram tollat.

## §. XXXVII.

Lex posterior in republica derogat priori, vel eandem omnino abrogat (per princ. I. G.).

**SCHOLION.** Si cui demonstrationem hujus propositionis perspicere voluope sit, adeat B. KOEHLERVM IN I. G §. 1009.

## §. XXXVIII.

*Impeditio* est actus ea intentione factus, ut illud non fiat, quod alioquin factum fuisset. Potest itaque impedito vel *physica* esse vel *moralis*.

**SCHOLION.** De impeditione in significatu strictiori, quae nimurum fit animo liberato, hoc loco esse fermentum, quilibet facile intelligit.

## §. XXXIX.

*Impedimentum* est, quod continet rationem, cur aliquid non existat, quod alioquin exstiturum fuisset. *Medium* est quod in se continet rationem existentiae finis. Remotio itaque impedimentorum est etiam medium propositum obtinendi.

## §. XL.

Si quis voluntatem habet seriam certum finem obtinen-

tinendi, media adhibet ad illum finem conduceantia  
(per princ. Met. & Mor.). Remotio impedimentorum  
etiam pertinet in numerum mediorum (§. XXXIX.),  
consequenter qui serio aliquid intendit, impedimenta, si  
ea cognoverit, remouere, quantum potest, studebit.

§. XLII.

Dum princeps subditis fert legem, vult ut aliquid  
existentiae reddatur. Transgressio legis rationem in  
se continet, cur illud non fiat quod alias extitrum  
fuisse: consequenter, est impedimentum eius, quod  
princeps per legem intendebat (§. XL.). Vnde si prin-  
cipis voluntas sit seria, illud impedimentum remoue-  
bit, quantum potest (§. XXXIX.).

§. XLII.

Quodsi itaque princeps aliquam tulit legem, quam  
violari a subditis nouit, neque tamen transgressionem  
impedit, cum posset, eius voluntatem de obseruatione  
istius legis non amplius seriam esse recte colligitur  
(§. XLI.).

§. XLIII.

Subditis liberum non est, utrum legi principis con-  
venienter viuere velint, an minus? Sed potius, quam  
diu imperantis voluntatem de obseruatione legis ser-  
iam esse cognoscunt, secundum eam actiones suas di-  
rigere obligantur (per princ. I. G.).

§. XLIV.

Obligatio subditorum, ut legi satisfaciant, de-  
pen-

pendet a voluntate imperantis (§. II. XXVIII.), quae seria esse praesumitur (per princ. I. G.). Quodsi ergo non amplius seriam esse voluntatem imperantis cognoscant, cum voluntas, quae seria non est, reuera voluntas non sit (per princ. Met. & Mor.): fundamentum obligationis cadit, illi legi pristinae actiones suas attemperandi, per consequens ipsa obligatio.

**§. XLV.** *Dicitur biniusse uti ad similes  
in illae actiones, de quibus lege nihil determinatur  
respectu illius legis liberae vocantur, scil. moraliter liberae; quae itaque differunt ab actionibus physice liberi, prout nuncupari solent, de quibus sermo nobis fuit (§. I.).*

### §. XLVI.

Si cessat obligatio legis, actiones, circa quas lex versabatur, & quae antea erant non liberae ut fiant, non ulterius determinantur, adeoque rursus sunt liberae (§. praec.), consequenter in subditorum arbitrio positum est, vtrum illas perpetrare velint, an minus?

**§. XLVII.** *Permissio est absentia impeditio, quae fieri poterat.*

**SHOLION** permissionem proprię tantum praedicamus de entibus intellectu praeditis.

### §. XLVIII.

**§. XLVIII.**

Ens intelligens adcurate loquendo nihil potest impedire nisi quod alioquin futurum esse cognoscit (§. XXXVIII.). Cum itaque permissio inuoluat, ut impeditio fieri potuerit a permittente (§. praec.); ille qui aliquid permittit id quod permittit cognoscatur oportet.

**§. XLIX.**

Quicunque ergo aliquod factum prorsus non cognoscit, illud, si vel maxime existentiam nanciscatur, permittere dici non potest (§. XLVIII.).

**§. L.**

Si in republica quapiam certae actiones perpetrentur, eas noverit imperans, viresque habeat sufficientes, eas impediendi, impeditio nem tamen, quum posset, non adhibet; illas actiones permittit. (§. XLVII.).

**§. LI.**

Quodsi itaque fiant actiones legi ab imperante latae repugnantes, vel adhuc in societate indifferentes, deferantur ad principis aures, neque tamen ille poenarum inflictione, contradictione, vel alia ratione vteriorem transgressionem impedit, cum posset, actiones illas permittere recte censemur (§. praec.).

**§. LII.**

Qui enti ratione praedito certas actiones permit-

C 3

tit,

tit, non *ideo* obligat istud ad actiones *easdem* perpetrandas, sed liberum ei relinquit, utrum velit istas facere actiones, an minus? adeoque eatenus vult, ut ens illud rationale possit agere & non agere.

### S. LIII.

Vbi itaque imperans subditis actiones quasdam permittit, subditi habent ius, siue facultatem ita agendi (§. praec.), non autem *idcirco* ad ita agendum obligantur, ut si id non agant possint puniri, vel alia ratione incommoda ipsis inde enascantur.

### S. LIV.

Ius *obligationis* vel *legale* vocatur, quo quis ad aliquid agendum obligatur, ius *licentiae* vero siue *impunitatis*, quo alicui liberum est, ut possit aliquid agere vel non agere.

**SCHOLION.** Diuisionem hancce fundamento non defituit, ex ipsa re pater, v. g. pileos minori forma gerendi ius habemus licentiae, non vero statim ius *obligationis*, ut aliquis posset puniri, qui pileo minori non vteretur. *Conf. CHRIST. THOMASIVS* loc. cit. §. XXVII. Coincidunt cum dictis, quae annotat *GUNDLINGIVS* loc. cit. §. XV. de lege permittente & prohibente vel praeципiente.

### S. LV.

Ea, quae permittit subditis imperans, in libertate subditorum eatenus sunt posita, licet *ideo*, ut ea faciant non

non statim ab imperante obligentur (§. LIII.): per consequens ad illa facienda non statim est ius obligationis vel legale, sed tantum ius licentiae vel impunitatis. (§. LIV.).

§. LV.

In republica soli imperanti ius praescribendi leges competit (per princ. I. G.). Quaecunque ergo actiones subditorum ab imperante non determinantur, illae eatenus sunt indifferentes (§. VI.), siue eas perpetrandi subditis competit ius licentiae, quod a voluntate principis dependet.

§. LVII.

Consuetudo, de qua hic est sermo, requirit actiones liberas externas, quatenus spectant ad societatem (§. IV.). Si ergo consuetudo aliqua oriatur, siue contra ius, siue praeter ius & ad principis perueniat aures, qui impedire eandem potuisset, quod tamen non fecit; ille eandem permittere velle recte colligitur (§. XLVII.), atque adeo subditi secundum eamdem agendi ius quidem habent licentiae seu impunitatis (§. LVI.), non vero eam ob causam statim ius legale vel obligationis (§. LIV. & LV.).

§. LVIII.

Quod aliquis habeat voluntatem alteri aliquid permittendi, vel ex disertis ipsius, quibus id declarat, verbis patescit, vel ex omissione impeditiois, quae tamen ab eo fieri poterat, colligitur; adeoque voluntas aliquid permittendi vel tacita est, vel expressa (§. XXVII.).

§. LIX.

**§. LIX.**

Ius itaque licentiae, quod habent subditi, aliquid agendi, vel omittendi a voluntate imperantis vel tacita vel expressa dependet (§. LVIII. LVII.).

**§. LX.**

Cum id, quod aliquis permettere dici potest, ipsi innoverit necesse sit (§. XLVIII.); sequitur, ut, si aliqua oriatur in republica consuetudo, quae vero ad imperantem aures non defertur, illam ab imperante permisum esse colligi non statim possit, adeoque ius impunitatis vel licentiae non efficiat (§. LIV.).

**§. LXI.**

Permissio impeditio[n]is possibilitatem in permittente requirit (§. XLVII.). Quodsi ergo consuetudo oriatur, vel legi priori repugnans, vel actionum adhuc indifferentium, praetereaque ad principis vel maxime delata sit aures, qui vero eo tempore impediendi consuetudinem pote[n]tiam atque vires sufficientes non habuit; certo concludere non possumus quod permettere imperans eandem velit.

**§. LXII.**

Quae imperans facienda iniungit subditis, ratione aduersa haud esse praesumuntur (per princ. I. G.); ubi itaque aliqua consuetudo ipsi rationi aperte contradiccat, princeps illam permettere velle non praesumitur, adeo-

adeoque ius impunitatis non facit. Non tamen eadem prorsus est ratio, si quod repugnet rationi consuetudo adeo apertum non sit. Ibi enim consuetudinis irrationalitas non a quocunque statim perspicitur.

**SCHOLION.** Neque tamen aliquid quod primo intuitu naturali legi repugnare videtur, statim pretali reputandum esse, recte monet cel. GVLNLINGIVS loc. cit. §. XV. idemque exemplo illustrat Spartanorum, qui iuuenibus, aliis singulari celeritate sua auferentibus poenas non infligabant, potius eiusmodi quid permittebant. Hic sane facili negotio in mentem alicui posset venire, Spartanos surta impune tulisse: quam certe consuetudinem admodum irrationalabilem futuram fuisse, optime iudicat laudatus Auctor, & addit: Alles dieses ist noch kein Diebstahl zu nennen, sie wolten ihre Bürger in Aufmerksamkeit und Ordnung halten. Damnum, quod quis sua culpa sentit, non est damnum. Also sagten sie, ist es auch kein Diebstahl, wenn diejenige, welche die Entwendung verwehren können, dieselbe durch ihre eigene Schuld nicht verwehren. Sie waren nicht so alber, daß sie solten dafür gehalten haben, Diebstahl wäre nicht unrecht. Nur sagten sie, ditz ist erst Diebstahl, was dem andern ohne seine Schuld entwendet wird.

### §. LXIII.

Quodsi ergo consuetudo, siue sit praeter ius, siue contra ius, ius licentiae efficere debet, oportet 1) sit rationa-

D

tionabilis , saltim non aperte irrationabilis (§. LXII.), 2) delata ad principis aures (§. LX.), 3) a principe, qui tamen eam impedire potuisset, non impedita (§. LXI.).

#### §. LXIV.

Voluntas imperantis de actionibus subditorum liberis , quatenus ad rempublicam spectant , est lex (§. XXVIII.). Si itaque consuetudo habeat requisita §. praeced. adducta : illa habet vim legis ; & si accedat , quod imperantis voluntas non patescat ex verbis illius disertis , sed ex aliis eius actionibus , est lex quae promulgata non est , (§. XXIX.) adeoque lex non scripta.

S C H O L I O N . Conferri hic iterum meretur illustr. G V N D L I N G I V s loc. cit. §. XV. vbi inter legem permittentem & prohibentem vel praecipientem distinguendum esse recte docet. Ita enim ille : die Gewohnheit , sprechen sie , verbin det mich nicht , daß ich eben also thue , wie ander re : Es zwinget mich niemand zur Nachahmung . Wenn alle Leute Degen tragen , da es zuvor verboten gewesen , mit einem Gewehr umher zu spaz hieren ; so kan ich doch meinen Mantel behalten , und damit gravitätisch einher treten . Hierauf ant worte ich , es sey mit diesem Einwurf , gleich wie mit dem Streit de lege permittente und prohibente , vel praecipiente beschaffen . In al ler permission steht auch eine prohibition , oder praception , Gebot und Verbot . Denn wenns

wenns erlaubt ist einen Degen zu tragen, so ist es allen verboten, mich zu hindern, oder allen geboten, mir die Freyheit zu lassen. Posset hic illa attingi quaestio, annon *interdum* consuetudo ius faciat obligationis vel legale: verum temporis angustia, praeter opinionem, exclusi, alia vice ea de re, deo adnuente, pro viribus sumus acturi.

### §. LXV.

Oriuntur interdum consuetudines, illis requisitis (§. LXIV.) vel omnibus, vel quibusdam destitutae (per exper.). Ergo non omnis consuetudo est lex non scripta sive ius non scriptum.

### §. LXVI.

Ius non scriptum requirit voluntatem imperantis, de iis, quae subditi agere debent, tacitam tantum, quatenus illa non sunt aperte contra rationem (§. XXXI. XXVIII.). Possibile itaque est, ut ex vnica actione subditorum, voluntas principis tacita pateat, quae rationi contraria non sit, adeoque origo iuris non scripti non praecise actionum requirit pluralitatem. Consuetudo vero omnis actus postulat plures (§. XVII.): non ergo omne ius non scriptum sive omnis lex non scripta est consuetudo, vel ex ea oritur.

**SCHOLION.** Ex dictis est manifestum, consuetudinem debitum requisitis instructam, speciem esse iuris non scripti; cumque idea consuetudinis rursus latior sit idea iuris non scripti (§. LXV.): idea consuetudinis & iuris non scripti sunt excedentes & excessae,

prouti a nonnullis Logicorum vocari solent. Conf.  
excell. REV SCHIVS in Synt. Log. §. XLIV. LXII.

### §. LXVII.

Lex posterior abrogat priorem, vel ei derogat (§. XXXVII.); cum ergo consuetudo in republica orta, licet repugnet legi cuidam, modo habeat requisita ad ducta (§ LXIV.), accipiat vim legis (§. praec.): illa etiam legem priorem vel abrogare vel saltim ei derogare poterit. Sed vice versa quoque, si aliqua adhuc obtinuerit consuetudo, princeps per nouam legem illam tollere potest, vel ex toto vel ex parte.

### §. LXVIII.

Consuetudo talis, de qua §. LXIV. fuit sermo, est tanquam lex respicienda (§. LXVI.). Quodsi ergo eiusmodi consuetudo adhuc fuerit recepta, & alia iisdem requisitis instructa, sed priori repugnans, oriatur; haec posterior, tanquam lex posterior, priori vel derogabit, vel eam prorsus abrogabit (§. XXXVII.).

### §. LXIX.

Probabilitatis gradus dantur quam plurimi (per princ. Log.). Cum itaque consensus principis tacitus ex illius actionibus tantum probabiliter colligatur (§. XXVII.): hic varii probabilitatis gradus possunt habere locum.

### §. LXX.

Si, consuetudine quadam orta, aliquis, eidem actiones suas conformans, idcirco apud principem deferatur, hic tamen poena illum non adficiat, vel alio modo se consuetudinem improbare non patefaciat; consensus

sensus imperantis tacitus in consuetudinem istam longe pater probabilius , quam si id factum non esset (§. LXIX. & per princ. Met. & Mor.); adeoque hac ratione , ceteris paribus , illam consuetudinem legi vim habituram dubitare nequit (§. LXVI.). Interim licet id non contingat , voluntas tamen imperantis tacita ex sola permissione colligi potest , per consequens , ut aliqua consuetudo accipiat vim legis , non semper eiusmodi contradictione actionibus eius , qui secundum consuetudinem agit , coram imperante facta , requiriatur , siue ut alii loquuntur , actus iudiciales ad talem de qua nos loquimur , consuetudinem , non sunt necessarii.

**SCHOLION.** Habemus hac in re nobiscum facientem Illustr. GUNDLINGIVM §. XIX. seqq. vbi §. XXI TITIVM refellit , qui contradictionem in iudicio postulat , seu vult , ut aliquis apud imperantem accusatus sit , quod actiones suas consuetudini accommodauerit , imperans vero illud non improbauerit , adeoque se permisurum eiusmodi consuetudinem satis luculententer declareret. Alii non quidem ad omnem consuetudinem eiusmodi contradictionem requirunt , sed tamen ad consuetudines contra ius ; v.g. ita statuit BERGERVS p. 14. &c. verum neque hoc se rite habere , ex dictis intellegimus.

### §. LXXI.

Scriptura ad essentiam iuris scripti non requiriatur , nec absentia scriptio ad essentiam iuris non scripti (§. XXXI.). Quodsi ergo aliquis memoriae

D 3

caussa

caussa illam confuetudinem redigat in scripturam , vel  
ipsius imperantis iussu , non desinit illa esse lex  
non scripta sive ius non scriptum . Aliter au-  
tem rem se habere , si imperans promulgationem iu-  
beat , patet ex antecedentibus .

§. LXXII.

Quomodo probari possit & debeat , quod aliqua  
orta sit consuetudo , nunc exponere , itemque qua-  
lis sit differentia inter confuetudinem , praescri-  
ptionem & stylum curiae explicare , nec non alia  
eius generis plura in medium adferre , mihi  
mens erat : verum nimia breuitas temporis efficit ,  
vt & hasce materias sicco , quod aiunt , pede prae-  
terire necessum habeam ; quod adeo non aegre feret  
B. L. Alia vice & ea , quae in praesenti dissertatio-  
ne occurunt , vberius deducam , volente DEO ,  
& omissa pro viribus & argumenti di-  
gnitate supplebo .



D 3 cunctis VIRO

VIRO  
IVVENI NOBILISSIMO ATQVE ORNATISSIMO  
**CHRISTIANO FRIDERICO**  
**POLTZIO**  
THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE  
CVLTORI SOLERTISSIMO  
S. P. D.

M. CHRIST. IOH. ANTON. CORVINVS

**E**x quo tibi innotescere, tu aque consuetudine iucundissima frui datum mihi fuit, me haud exiguum semper ex eadem percepisse, voluptatem publice profiteor. Tua diligentia Tuusque discendi ardor mirifice nunquam non se mihi probauere, sinceritasque Tua, & virtutis studium non interruptum singularem in Te amorem, in me incenderunt. Prioris, diligentiae nimirum, publicum aliquod specimen in lucem edere non dubitas, dum dissertationem praesentem contra celeberrimorum

Viro-

Virorum insultus tueri tecum constituisti. Licet itaque hoc factum nondum sit, nihilo tamen minus, quoniam felix tuum ingenium, tuumque doctrinae adparatum perspiciendi occasio mihi contigit, de futuro, quasi iam factum esset, strenua nimirum nostrae dissertationis defensione, adeoque eruditionis tuae documento, ex animo TIBI gratulor, summumque Numen obtestor, ut tuis studiis vteriores semper velit largiri progressus, quo integra res publica literaria, & cum primis christianorum coetus fructus ex Te percipere possit vberimos. Vale, & quod fecisti adhuc, mihi porro fauedab.

Ienae d. III. m. Maii. A. R. S.

MDCCXXXVIII.

S. D. G.

A. R.






Jena, Diss.,

ULB Halle  
003 791 262

3



f  
JA → OL

nrw 17 10 Stück verknüpft



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE

# CONSVETVDINIBVS

QVAM  
DEO CLEMENTER ADVENTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

## GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE,  
WESTPHALIAE, COMITE SAYNAE, ET WITTGENSTEINII,

RELIQVA

CONSENTIENTE

AMPLISSIMA FACVLTATE PHILOSOPHICA

PRAESIDE

## CHRISTIANO IOANNE ANTONIO CORVINO

PHILOSOPHIAE MAGISTRO

PUBLICE DEFENDET

## CHRISTIANVS FRIDERICVS POLTZIVS

ROSLAVIENSIS THVR.

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE

CVLTOR.

DIE III. MAII M DCC XXXIX.

IENAE LITTERIS HORNIANIS.